



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

4. Dies Octobris. Deus meus, & omnia. S. Franciscus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 4. DIES OCTOBRIS.

Deus meus, & omnia. *S. Franciscus.*

I. **H**unc diem suo jure vendicat sibi maximus Minorum Patriarcha, Franciscus, qui, quod est Seraphicus inter Angelos, hoc est ipse inter homines Seraphicum suum in Deum amorem prodidit potissimum hanc suam tessera sibi perquam familiari. *Deus meus, & omnia.* Rem compendio perstringam. Invenit D. Franciscum ad cœnam Bernardus in Quinta Valle, unus est proceribus civitatis Assisinae. Cœnam absolutam, in eodem ambo quievit concubavit. Franciscus statim decubuit in lecto, & aliter sedemire, & profundè stertere, pio astu simulavit. Cum porro Bernardum crederet dormire: in profundo noctis silentio, surgit è lecto, & levatam faciem in caelum, manibus, & oculis in Deum totus intentus, maximo cum pietatis sensu, hæc verba ingeminabat, Deus meus & omnia. Et quidem noctes ipsas quatuor, trium horum verborum commentatione, & creberrimam repetitione, non semel, summam cum animi sui voluptate transegit. Quasi secum ipse hæc diceret, cum illa toties repeteret. Millies hoc dicam, millies hoc cogitabo, millies hoc, & usque, & usque, & usque millies repetam: neque enim vel dicere possum quid majus, vel cogitare quid melius, quam Deus meus, & omnia. Alii alia querant, alii desiderant, unum ego Deum in eum quero, Deum desidero. *O Deus meus, & omnia.*

II. Opes alii, & honores, voluptates alii universas relinquo: Deum ego habeam, & omnia habeo.

Totus

Totos ego aliis mundos concedo : aureos, & gemmeos montes non invideo, summas delicias permitto : mihi Deus meus est omnia. Nihil ita bonum, nihil ita pulchrum, nihil ita jucundum, quin summum illud, & primum bonum sit infinities melius, pulchrius, jucundius. Quàm me varia sæpè accendunt desideria, quàm diversis subindè æstuo cupiditatibus? ita ut cum lunatico illo adolescente, modò in ignem, modò in aquam rapiar. Sed quænam illa tanta bona sunt, quæ ego tam anxie appeto? Num, vel istud genus edulii aut potionis? Deus meus, cibus meus, potus meus & omnia : num hoc vel istud genus relaxationis, aut voluptatis? Deus meus, gaudium meum, voluptas mea, & omnia : num hoc vel istud genus honoris, aut dignitatis? Deus meus, honor meus, mea dignitas, & mea omnia. Quid est tandem quod appetere possim, & cujus loco mihi Deus non sit, & sit omnia? Mihi Epulatio, mihi Oblectatio, mihi quies, mihi thesaurus Deus est; mihi Deus omnia, & plusquam omnia : nam etsi cibus, quibus inhio vesci; potu, quem sitio refici; voluptate, quam ardeo, frui; honores quos expeto assequi liceat, quid istud vesci, refici, & frui, & assequi? *Deus meus est omnia.* At verò labor premit, dolor affligit, curæ distrahunt, homo turbat & exagitat. Nihil horum metuendum; neque enim hæc omnia, licet simul ingruant, mala sunt, si summum illud bonum opituletur, Deus; Deus meus & omnia.

III. Tu mihi ô bonæ Deus! ô Bonitas, tu in labore requies, in dolore voluptas, in curis securitas; tu mihi ab omni hominum tumultu, & insultu propugnaculum tutissimū : tu mihi ab omni malo refugiū.

tu mihi es omnia, quæcunque desiderare possum. Ergo quodcunque in posterum, & quodcunque bonum appetiero : hoc ipsa mihi semper occinam. Deus meus & omnia. Desine ô homo impuros rivosectari, cum fontem purissimum habeas. In uno habes omnia. Hinc disce sub magisterio D. Francisci in gymnasio Spiritus Sancti divinitus edocti : illum cui Deus est omnia, secum vehere expeditam Gaudii officinam. Deus, & homo solitarii satis sibi quisque sufficit sibi : cui inquam, sufficit, quod suum est. Unum puto ex omnibus fœlicem, qui in uno Deo, se, & sua ponit omnia. Philosophus ille Priennensis, cum captâ patriâ, onusti rerum suarum sarcinis universi fugerent, nihil sustulit : rogatus causam : omnia mea, inquit, mecum porto. Novit rem portatu facilem, sine onere tamen, fœlicitatem esse. Ille alter, Aristippus aliquis, post naufragium, nudus venit Rhodum, cæteris jacturam suam lamentantibus, ipse alacris; quia ex fluctibus detulerat omnia sua, dum se. Ita is, cui unus Deus est omnia, in ipso oceano portum secum portat, non modò in mari, sed in ipsa terra procellosæ fortunæ. Nec importunitas laborum, nec timor discriminis, nec sensus cruciatuum, nec pudor opprobrii, nec incommoda paupertatis, incommodabunt illi, non obruent ejus gaudium, non turbabunt quietem domesticam cordis, non munitam modò, sed securam. Inter omnia igitur, quæ tibi eveniunt, sapiùs tibi occinne illud D. Francisci Symbolum, Deus meus & omnia, cui accinit Poëta :

*Est mihi cuncta meus, quæqueo velle, Deus.*